

Letter 517: 11 October 1533, Augsburg, Gereon [Sailer] to Capito and Martin Bucer

The autograph original of this letter is in Strasbourg AVCU, 1AST 157, pp. 395–6.

Bene agere. Qui hasce vobis affert literas, commodum ad me poterit puerum per Capitonem promissum ad me destinare. Quare agite, ne puero diutius caream. Habeo mecum nobilem ab Emershofen, nondum decem annos natum. Ille a propinquis literarum studiis mancipabitur. Dabo operam, ut meus vestrum pecuniis et vester meum adiuvet erudiendo, post annum utrumque vobis missurus.

Res nostrae pessime habent. Duo Michaelles frigent. Ioannes Hainrichus multa pro suggestu clamat et nihil dicit, quia nihil legit. Bonifacius non ea severitate agit, qua deberet. Sebastianus prudenter et docte conconatur, sed paucissimos habet auditores. Musculus mirum in modum crescit. In utroque hoc unum desydero, quod plus sibi a conviviiis publicis et privatis temperarent, id quod maximopere praestaret. Alii duo, Ioannes Hainrichus et Bonifacius, perpetui etiam convivae sunt. Habet quilibet suos. Dividuntur ipsi et dividunt alios adherentes. Habet Bonifacius suos Schwenckfeldianae sectae pronos, in quorum familias introducat Schwenckfeldum, hominem astutum et, ut sunt melancholici, omnibus diffidentem, sibique ac suis solum invitentem. Senatus nollet rem dextre succedere; non possum augurare, quid futurum sit.

Buceri ad Lutheranas literas maxime placet. Non puto me legisse aliud quo Lutherus suo ipsius gladio ita confodiatur. Nuper scripsi scholia in Therapeuticam Ioannes Agricolae doctissima esse excudenda, si quem habetis, qui hoc possit, det tantum *vestem undulatam* auctori. Liber doctus est, sive medica sive bonas simul et historicas literas quis respiciat. Valete ocysime. Augustae. XI Octobris anno MDXXXIII.

Geryon vester.

Si mitteretis Stultum, volui dicere Stultetum, tum pulchrum haberemus collegium.  
[Address]: Optimis viris eruditissimisque theologis, Wolphgango Capitoni et Martino Bucero, ecclesiastis Argentoracensibus, fratribus dilectissimis.